

Nate Deo, nostri nimium memor, immemor eheu!
 Ipse tui, si quid adhuc superest
 Sanguinis, ah cohibe: jam large fluxit, & una
 Humanum potuit gutta piare genus.
 Nostra salus nimio constat tibi: pone labori,
 Pone modum, & vitæ, lux mea, parce tuæ.
 Ista, velis, nil te jam crux, clavique trabales
 Lædent, nil densis texta corona rubis.
 Vanescet tumor hic, vanescent vulnera, nusquam
 Livor erit, tua qui candida membra notat,
 Membra olim puro diæ quæ sanguine Matris
 Ipse suis formans finxit Amor manibus,
 Addidit & rarum formæ decus. Hei mihi! quonam
 Forma? tuo quonam fugit ab ore decor?
 Purpureæ quo nam fugit flos ille juventæ,
 Quo lepor, & dulci dulcia melle magis
 Verba? humeris densum quæ vulgus nuper avebat
 Excipere: ut patrias millia multa domos
 Linquebant! montesque, & desertas convalles
 Complebant cœtu littoraque, & scopulos
 Mirantes, dulcesque epulas, & munera somni
 Obliti! formæ tantus in ore lepos,
 Tanta inerat vultuque, & blandis gratia verbis.
 Nunc tacitum, exangui corpore, semianimem,
 Tristi perfusum tabo, plagisque tumentem
 (Credo equidem) vix te noscere quæ genuit
 Ipsa queat, matrum, quot sunt, lætissima quondam
 Nunc mœsta, & largis uda sinum lacrimis.
 Væ miseræ! ut tristes exercent pectora curæ,
 Infixusque alte venit ad ossa dolor!
 Non secus ac duro si quis præcordia ferro
 Transadigens ipsam sedem animæ rigido
 Cor petat ense, secetq: in partes, & ferus addat
 Usque nova inflictis vulnera vulneribus.